

tem, tantundem in te domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo dominum: bona ætas est, forsitan habebis. Nescis qua ætate Hecuba servire cœperit, qua Cræsus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes? *Ibidem.*

12. Erras, si existimas, me quosdam quasi sordioris operæ rejecturum, utpote illum mulionem, et illum bubulcum: non ministeriis illos æstimabo, sed moribus. Sibi quisque dat mores, ministeria cassus assignat. *Ibidem.*

13. Servus est, sed fortasse liber animo. Servus est, ostende quis non sit: alius libidini, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Nulla servitus turpior est, quam voluntaria. *Ibidem.*

14. Paucos servitus, plures servitum tenent. *Sen. 22. epist.*

15. Qui in servos suos irascitur, et crudelis est, satis ostendit, potestatem adversus alienos sibi defuisse. *Senec. lib. de morib.*

16. Servis tuis hilarem te præstes, non superbum: superiorem te colant potius, quam timeant. *Senec. 47. epist.*

17. Si quis existimat, servitum in totum hominem descendere, pars ejus melior est excepta, corpora obnoxia sunt, et adscripta dominis, mens quidem sui juris est. *Senec. 5. de benefic.*

18. Plerique hominum stulti sunt, qui serviles et cibos et servilem fugiunt vestem, serviles mores non fugiunt. *Senec. de morib.*

19. Liberi servique personam veritas separat, servum liberumque mendacium miscet. *Ibidem.*

20. Cum Diogenes ex libertate in servitum venderetur, et eum quidam emere vellet, quid servituti sciret, percunctatus est. Respondit, novi, inquit, hominibus liberis imperare: at ille eum manumisit, filiosque ei tradens: *Accipe, inquit, liberos meos, quibus imperes. Aul. Gell. lib. 2.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 25, 27. in tit. Divitiæ, núm. 16. in tit. Mors, núm. 3. 11. in tit.

Patentia, núm. 26. in tit. Relinquere, núm. 13. in tit. Sacramentum, núm. 1.

SERVITIUM.

1. Vis ut serviat caro tua animæ tuæ? Deo serviat anima tua: debes regi: ut possis regere. *Aug. super Joan.*

2. Quum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res, quæ canitur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. *Aug. lib. 10. Conf.*

3. Prudenter sibi Deus serviri vult, non ut inmielate sua debiles fiant: et postea medicorum suffragia requirant. Temperandum est enim, ut si fieri potest, cœptum obsequium magis provehatur, quam per inconsiderantiam minuatur: intemperantia enim ipsam animam inquietam facit, ut quum de infirmitate sollicita est, non tantum dedita sit divinis servitiis. Damnum ergo affert improvidentia. Anima enim in tranquillitate posita totum cor extollit ad Deum, integro consilio obsecrans, quæ petenda sunt. *Amb. super epist. ad Timot. sup. ill. Modico vino utere.*

4. Qui accingi in divino servitio properat, quid aliud, quam se contra antiqui adversarii certamen parat? ut liber in certamine ictus suscipiat, quietus sub tyrannide in captivitate serviat. Unde cum Deo pax robustior oritur, nobis ab adversariis durior pugna reservatur. *Gregor. in moral.*

5. Nemo potest in una et eadem re omnipotenti Deo servire, alque ejus hostibus gratus existere. Nam Deo amicum se denegat, qui ejus placet inimico. *Greg. in quad. hom. sup. Ezech.*

6. Nonnulli terreno judici tota die adsistere fortes sunt: in oratione vero coram Domino eliam unius horæ momento lassantur. *Greg. in moral.*

7. Revelatur servo Dei potestas, mercenario felicitas, filio veritas: Servus dicit: *Vadam ad portas inferi. Mercenarius, non videbo Dominum Deum meum*

in terra viventium. Filius, psalmos nostros cantabimus, etc. Bernard. in quodam serm.

8. Decorem domus non dicit, pulchritudinem parietum, aut ministrorum pretiosissimos apparatus, sed ipsorum actuum beatissimam qualitatem, quibus cuncta gaudet Ecclesia, scilicet in psalmorum jubilatione, in precum sanctitate, in christianæ populi devotione subjungens, quia ubicumque habitat Deus, gloria est, gloriosum efficit quidquid inhabitare dignatur, et ab hospitis merito crescit hospitii magnitudo. Cass. super psalm. 25.

9. Quamvis hoc nec à laicis videatur exceptum, specialiter tamen sacerdotibus probatur impositum, ut tales ministros habeant, qui divinis regulis non repugnent. Cass. super psalm. 109.

10. Deus sustinet ut corrigat, flagellat ut erudiat, probat ut præstet, si fas est, ut cælum non cooperiat terram, non potest fieri, ut Deus non proleget sibi purissime servientem. Cass. super psalm. 102.

11. Justum est, publicis actionibus personas inserere morum perspicuas, ut per obsequia fidelium omnibus crescat utilitatis augmentum. Cass. l. 3. ep. 25.

12. Mutat quaslibet largitates malorum servientium manus: quia sicut fontis puritas per limosa corrumpitur: sic affluentia boni principis malis distributoribus immutatur. Cass. lib. 5. epist. 21.

13. Hæc est consuetudo vestra ò divites, tamdiu cordi vobis sumus, quamdiu usui, ut injuriam vocetis finem servitutis. Sen. de sent. orat.

14. Quamdiu servus præstat, quod à servo exigi solet, ministerium est, ubi plusquam à servo necesse, beneficium est: ubi enim in affectum amici transit, beneficium vocari incipit. Sen. 3. de benefic.

Vide etiam in tit. Diabolus, núm. 6. in tit. Fraus, núm. 4. in tit. Homo, núm. 13.

SIMPLICITAS.

1. Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam ma-

chineris dolos: et astutiam serpentis, ne aliorum supplanteris insidiis: quia non multum distat in vitio, aut decipere, aut decipi posse. Hier. ad rust. monach.

2. Prudentia absque simplicitate, malitia est, et simplicitas absque ratione stultitia nominatur. Hier. super Oseam.

3. Simplex eris, si te mundo non implicaveris, sed explicaveris: explicando enim te à mundo, simplex, implicando, duplex eris. Aug. ho. 2. sup. Joan.

4. Nihil divitius viro simplici. Quid enim simplicitate divitius? quæ sicut bonus paterfamilias satis sibi abundat, et sua puritate contenta, non quærit alienum: nec abrodit, nec de cæteris fingit, nec se in artes varias sæpe commutat, sicut astutia: quæ ut sit cauta, timet omnia, nec suis consiliis credit, versat ipsa suas sententias, simplicitas autem timere nihil novit. Hier. super Oseam.

5. Utraque bene in admonitione convertit, ut simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, et rursus serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. Gregor. in mor. tract. ill. Estote prud.

6. Nihil simplici corde felicius: quia ex quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est, quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi artem quamdam simplicitatem suam: nec suspectus est pati, quod se fecisse non meminit. At contra mens prava semper in laboribus est: quia aut molitur mala, quæ inferat; aut metuit, ne sibi hæc ab aliis inferantur. Gregor. in Moral.

7. Omnibus nobis in conversionis initio, nulla virtus magis necessaria est, quam simplicitas humilis, et gravitas verecunda. Bern. in quod. serm.

8. De B. Job dicitur, quod erat vir simplex et rectus. Simplex videlicet per innocentiam mansuetudinis, rectus per cautelam discretionis: simplex quia nullum lædere, imo prodesse desiderabat: rectus, quia se à nullo corrumpi permittebat. Bed. de templ. Salo. lib. 1.

9. Simplicitas sine rectitudine dissoluta est, et stulta: relictudo autem sine simplicitate austera ni-

miūm existit et dura: verum utraque virtus conjuncta, perfectum reddit hominem. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Adulatio, nūm. 9. in tit. Doctrina, nūm. 1, 11. in tit. Hypocrisis, nūm. 14. in tit. Meritum, nūm. 3. in tit. Sapientia, nūm. 12.

SIMONIA.

1. Lepram cum Giezi á sancto suscepisse se credant Elisæo, qui gradum sacerdotalem se æstimant pecuniis comparare. *Ambr. in suo past.*

2. Sicut validioribus morbis capite vitiato, reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari: ita et hi, qui caput habentur ecclesiæ, morbo pestifero fraternum viliant corpus: ita ut vides in ecclesia passim, quos non merita, sed pecuniæ ad Episcopatus ordinem provexerunt. *Ibidem.*

3. Nempe hoc est, quod doleo, quod Archiepiscopus carnaliter episcopum fecit: nam propter pecunias specialiter leprosum ordinavit. Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem: quia donum sancti spiritus gratiæ pretio comparasti, et commercium mirabile in animarum exilium peregristi. *Ibid.*

4. Oculis quidem carnalibus videtur quis Episcopus magnus, et divinis obtulibus inspicitur leprosus magnus, qui per pecuniam acquisivit indebitum ordinem, et apud Deum perdidit interiorem hominem: caro suscepit dignitatem, et anima perdidit honestatem. *Ibidem.*

5. Quod dedit cum Episcopus ordinaretur, aurum fuit, et quod perdidit, anima fuit: cum alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit, et quod dedit, lepra fuit. *Ibidem.*

6. Sæpe sinistra principia ad felicem perveniunt exitum: ut Jacob per supplantationem pervenit ad benedictionem: ut fruges quæ leprosa manu seritur, munda lamen metitur. Ut ex adulterino concubitu pulchra soboles nascitur: sic et pecunia, quæ per symoniam acquiritur, felicem exitum habet, quum

pauperibus profutura erogatur: sed nihil horum simoniacis patrocinatur. *Hier. in epist.*

7. Sicut episcopum non decet manum, quam imponit, vendere: ita minister vel notarius non debet in ordinatione sui, vocem vel calamum venundare. *Greg. in registr.*

8. Simonia hæresis contagium jam olim in Balaam pullulavit: qui divinationis pretio proposito, ad maledicendum populum Dei perrexit: dehinc duo leguntur aucthores emersisse alter sub prophetica, alter sub apostolica doctrina. Primus Giezi magister esse vendentium, deinde Simon videtur emptor. Horum aulem sectatores sicut non sunt in errore diversi; ita nec in damnatione divisi. *Hug. lib. 2. de sacr. par. 10.*

9. Certe acceptior est apud Deum justitia, quam præbenda: ideo cum in utraque possit simonia committi: damnabilior tamen est omnis venalitas in exhibitione justitiæ, quam in venditione decimæ, aut præbendæ. *Pet. Rav. epist.*

Vide etiam in tit. Munus, nūm. 6.

SOBRIETAS.

1. Sobrietas est mentis et sensus, membrorum omnium, corporisque tutela, castitatis pudicitiaque munimentum, pudori proxima, amicitia pacisque serva, honestatique semper conjuncta, criminumque et vitiorum omnium profuga. *Aug. lib. ad sacr. virg.*

2. Sobrietas est recti judicii tenax, memoriæ recordationisque inseparabilis sapientiæ, secretorum custos, arcani velamen, lectionum et doctrinæ capax, studiorum et artium bonarum disciplina, pariter et magistra ingeniorum et capiendorum pedissequa, bonæ famæ semper avida, salubria atque utilia creans, virtutis singulare auxilium, cuncta cum ratione disponens, in congregatione honestorum se semper ingerens. *Ibidem.*

3. Sobrietas temeritatem fugit, pericula cuncta declinat, mutuis officiis obtemperat, superbiam detes-

latur, domum familiamque cum moderatione gubernat, fidem sibi committentibus servat. *August.*

4. Sobrietatis perseverentia inestimabilis est animi fortitudo, omnes eam virtutes et omnes laudum tituli concupiscunt: quia sine ipsa ornari aut placere non possunt. *Ibidem.*

5. Simplicior victus, et mensa mediocris plurimum jucunditatis habet et voluptatis: e contrario vero divitum mensæ execrabiles quidem et horridæ, ac membrorum contaminationis plenæ. *Chrysost.*

6. Sobrietas omnium virtutum mater est, sic e contrario ebrietas, omnium vitiorum origo. *Greg. ho. 87.*

7. Sobrietas felix, satiety salutaris, quæ quanto copiosius sumitur, tantò magis sobrietatem mentibus donare dignatur. *Cass. super Psalm. 69.*

8. Recens escæ perceptio tam in vespertinis quam nocturnis orationibus levem tenuemque sensum non sinit inveniri: ideoque satis commodum et utile hora nona refectionis tempus indultum est, in quo reficiens stomachus non solum in nocturnis vigiliis levis ac vacuus, verum etiam in ipsis vespertinis solemnitatibus digesto jam cibo aptissimus invenitur. *Joan. Cass. colla. abbatis. Moysi c. 26.*

9. Si quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est quod fortunæ affluentiam petas: paucis enim minimisque natura contenta est, cujus satietatem si superfluis velis regere, aut injucundum quod infuderis fiet, aut noxium. *Boët. de cons.*

10. Hanc sanam ac salubrem formam vitæ tenete, ut corpori tantum indulgeatis, quantum bonæ valetudini satis est. Cibus famem sedet, potio sitim extinguit, vestis frigus arceat, domus munimentum sit adversus infesta corpori: hanc utrum cespes erexerit, an vanus lapis gentis alienæ, nihil interest. Scitote tam bene hominem culmo, quam auro tegi: Cogitate nihil præter animum esse mirabile, cui magno nihil magnum est. *Sen. 8. epist.*

11. Sine fastidio implendus est venter. Quid enim ad rem pertinet, quid accipiat, perditurus quidquid acceperit? *Sen. epist. 24.*

12. Sobrietas virtus est appetentis, per quem prævæ voluptates non appetuntur. *Arist. de virt. et vit. divis.*

13. Sobrietas est affectus moderationis contra incentiva crapulæ, et diluvium ebrietatis. *Tullius de Offic.*

Vide etiam in tit. Abstinencia, nùm. 37. in tit. Ebrietas, nùm. 33. in lit. Gloria vana, nùm. 34. Gula, nùm. 16. in lit. Sacerdos, nùm. 14. in lit. Temperantia, nùm. 7.

SOCIETAS.

1. Societas nullo modo fit major accendente sive permanente consorte possessionis bonitatis: imo possessionem bonitatis quantò latius, tantò concordius individua sociorum possidet charitas. Non habebit denique istam possessionem, qui eam noluerit habere communem: et tantò eam reperiet ampliorem, quantò amplius sibi potuerit amare consortem. *August. de Civ. Dei.*

2. Non turbatur navis, quæ Petrum habebat, sed turbatur illa, quæ Judam habebat: etsi multa illorum discipulorum merita naufragabant: tamen adhuc perfidia proditoris agitabatur in utraque Petrus: sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caveamus igitur perfidum, caveamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus. *Ambr. sup. Luc. lib. 4.*

3. Voluit Christus deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo suo tradi: ut cum sis desertus à socio, prodilus ab ipso, moderate feras, tuum errasse iudicium, periisse beneficium. *Ibid. lib. 5.*

4. Erat in navicula Simon Petrus, sed erat pariter et Judas proditor: quamvis illius fides fundaret naviculam, hujus tamen perfidia eam perturbabat. Tranquillitas est, ubi solus Petrus navigat, tempestas ubi Judas adjungitur. Licet esset Petrus firmus suis meritis: perturbabatur tamen criminibus proditoris: unius igitur delicto cunctorum merita quassantur. *Ambr. in ser. de cathedr. S. Petr.*

5. Tolerandi ubique sunt proximi: quia Abel fieri

non valet, quem Cain malitia non excercet. Unum vero est, potentia, qua vitari societas malorum debeat: ne, si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant, et quum ipsi sua malitia non mutantur, eos, qui sibi conjuncti fuerint, pervertant. *Greg. in ho. 9. super Ezech.*

6. Bonus sic malo connectitur, ut aut pares redantur, aut citò ab invicem separentur. Amicitia enim pares aut quærunt aut faciunt. *Chrys. super Matth.*

7. Rerum natura sic est, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur: diversitas enim rerum nunquam potest habere concordiam, et multos sollicitat societas nefanda. *Ibidem.*

8. Vitiosus conscientias vitiosorum non refugit, et ubi omnes sordent, unus minimè fortè sentitur. *Bern. lib. de consid.*

9. Ante ignem consistens, etiam si ferreus sis, aliquando dissolvèris, proximus periculo diu tutus non erit. Per assiduitatem cito peccat homo. Sæpè familiaritas implicavit, sæpè occasionem peccandi dedit, sæpè quod voluntas non potuit, assiduitas superavit. *Isid. lib. 2. Soliloq.*

10. Melius est, habere malorum odium quam consortium. Sicut bona multa habet communis vita sanctorum, sic plurima mala societas affert malorum. *Ibid.*

11. Amabilis socius omnibus est officiosus, et nulli onerosus, quia devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum, Domini servus, proximi socius, mundi dominus, superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium. *Hug. lib. 5. de anim.*

12. Remedium enim est, quem converti velle non videris, vitare, si possis. *Cass. super ill. psalm. Declinate à me mali.*

13. Ipsi quoque homini duplices manus, socias aures, oculos geminos Divina tribuerunt, ut robustius perageretur officium, quod duorum fuerat societate complendum. *Cass. lib. 2. epist.*

14. Melior est societas simplicis inter sapientes nutriti, quam prudentis cum peccatoribus educati. Dulcior est sapientis aspera vita inter sapientes, quam dulcis inter insipientes. *Pet. Chris.*

15. Si quis in cælum ascendisset, naturamque mundi et pulchritudinem syderum prospexisset, suavem illam admirationem sibi fore, quæ jucundissima fuisset, si alium, cui narrasset, haberet: sic natura solitarium nihil amat. *Tullius de amici.*

16. * Socii pulandi sunt, quos inter res communicata est. *Ibid. act. 3. in Ver.*

17. * In rebus humanis socium fallere turpissimum est propterea quod se pulat auxilium sibi adjunxisse, qui cum altero rem communicaverit. *Ibid. pro Rosc.*

18. * Æque perfidiosum est et nefarium, fidem frangere, quæ continet vitam, et pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit, et socium fallere, qui se in negotio adjunxit. *Ibidem.*

19. Magna pars peccatorum tollitur, si peccatori testis adsistit. Aliquem habeat animus quem vereatur, cujus auctoritate secretum suum sanctius faciat, juxta illud: Ut vitium vites, villique suspicionem, semper eos tecum, quos verearis, habe. *Sen. epist. 11.*

20. O felicem illum, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus, se componat atque ordinet! qui sic aliquem vereri potest, cito erit vendendus, ubi ad regulam prava corrigit. *Ibidem.*

21. Humanitas vetat superbum esse apud socios, vetat avarum: verbis, rebus, affectibus communem se, facilemque omnibus præstat, nullum alienum malum putat: bonum autem suum ideo maximè, quod aliquis bonum futurum esse amat. *Ibidem.*

22. Omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior est, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti. *Ibidem.*

23. Nulla res magis animos inhonestos et in pravam inclinabiles revocat ad rectum, quam honorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, et vim præceptorum obtinet, frequenter aspicit, frequenter audiri. *Ibidem.*

24. Convictor delicatus paulatim enervat, et emollit: necesse est, aut imiteris, aut oderis: utrumque autem devitandum est, ne aut similis malis fias, quia multi sunt: ne vel inimicus multis, quia dissimiles sunt. Cum his conversare, qui te meliorem facturi sunt, illos admitte, quos tu potes facere meliores. *Ibidem.*

25. Nullius rei sine socio jucunda est possessio. Non magis utilitati est ager cum redditibus amplis, quam vicinus æqualis cum moribus bonis. Sit tibi erga singulos salsi libra sermonis, ut te blandum pueri, comem juvenes, gravem senes metiantur. *Sen. 17. ep.*

26. Ante circumspiciendum est, cum quibus edas et bibas, quam quid edas et bibas. *Ibidem.*

27. Comes facundus in via pro vehiculo est. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Avaritia, núm. 2, 25. in tit. Consolatio, núm. 20. in tit. Conversatio, núm. 7, 10, 38, 39, 41, 43, 47, 48. in tit. Discere, núm. 13. in tit. Excusatio, núm. 6. in tit. Fraternitas, Pax, núm. 1, 3.

SOLEMNITAS.

1. Toties enim dies natalitios sanctorum celebremus, quoties virtutes eorum recolimus, quibus claruerunt in terris; ut ad gloriam illius, à quo totum habuimus, referamus. *August. in quod. serm.*

2. Melius faceret Judæus in agro suum aliquid utile, quam in theatro seditiosus existeret: et melius feminae eorum die sabbati lanam nerent, quam tota die in neomeniis suis impudice saltarent. *August. in lib. de decem chordis.*

3. Dominico die à labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, ut si quid negligentiae per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicae precibus expiatur. *Gregor. in registro.*

4. Quid prodest interesse festis hominum, si contingat deesse festis angelorum? *Greg. ho. 35. sup. Evangel.*

5. Valde absurdum est nimia saturitate velle honorare martyrem, quem sciamus Deo placuisse jejuniis. *Hier. in epi. ad Eusto.*

6. Si desinas ab omnibus secularibus operibus, et nihil mundanum geras sed spiritualibus operibus vaces, ad ecclesiam convenias, lectionibus divinis aurem præbeas, de cælestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia et visibilia, sed ad invisibilia et futura: hæc est observatio sabbati Christiano. *Orig. super Exod. ho. 69.*

Vide etiam in tit. Sanctitas, núm. 10, 11, 12, 15, 16.

SOLLICITUDO SIVE OCCUPATIO.

1. Amant perversi homines pro hujus mundi gloria tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter serviunt, et gravium laborum jugo devotissime colla submitunt, quod bene sub Effraim specie Osee prophetante describitur, qui ait: Effraim vitula docta diligens trituram. Vitula enim tritura laboribus assueta, relaxata, plerumque ad eundem laboris usum etiam non compulsa revertitur. Ita pravorum mens hujus mundi servitio dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi sibi liberè vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat. *Gregor. in moral.*

2. Cessationem Dominus à mundi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuadet, et tamen vesana iniquorum mens plus se assequi aspernaliter, quam tenere blanda spiritualiter gaudet: plus acerbitate fatigationis, quam quiete dulcedinis pascitur. *Ibidem.*

3. Quid per porros et capras exprimitur, quæ plerumque qui comedunt, lachrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ à dilectoribus suis, etsi non sine luclu agitur, tamen cum lachrymis agatur? Manna sibi deferentes cum peponibus ac carnibus, porros caprasque quæsierunt, quia videlicet perversæ

mentes dulcia per gratiam quietis dona despicunt, et pro carnalibus voluptatibus laboriosa hujus mundi itinera etiam lachrymis plena concupiscunt; contemnunt habere, ubi spiritualiter gaudeant, et desideranter appetunt, ubi carnaliter gemant. *Ibidem.*

4. Plus in hoc mundo honor, quam despectio occupat, et magis prosperitatis sublimitas, quam necessitatis adversitas gravat. Mens dum pro blanda occupatione premitur, libens ad exteriora derivatur. *Ibidem.*

5. Qui rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, quum sollicitè ad interiora refugiunt, quum nequaquam perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt. *Ibidem.*

6. Nonnumquam qui quietus alicujus esse meriti creditur, positus in qualibet actione dividitur. *Ibidem.*

7. Sæpè, qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt, et sæpè, qui occupati bene usibus humanis viverent, gladio suæ quietis extincti sunt. Nonnulli hominum illa otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant. *Ibidem.*

8. In istis visibilibus, quæ intuemur, cor nostrum extra se spargitur, et quidquid de se intrinsecus agatur, obliviscitur, dum extrinsecus occupatur. *Ibidem.*

9. Occupatio secularium dignitatum tantò facilitioribus vitiis premitur, quantò majoribus curis gravatur. *Ibidem.*

10. Sæpè misericors Deus, quos suos tenere diligit, eos sollicitè ab exterioribus actionibus custodit. Nam et plerumque pater familias ad eum laborem servos dirigit, à quo subtiles filios suspendit. *Ibidem.*

11. Præoccupatum quippe secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis: ut pariter sapiat, quæ sursum sunt, et quæ super terram. *Bernar. in quodam serm.*

12. Cor meum, quando futurum non curat gau-

dium, implicatur amore terrestrium, quumque illis involvitur, vanitas recipit, curiositas deducit, voluptas inficit, cupiditas afficit, luxuria inquinat, torquet invidia, cruciat tristitia, turbat iracundia, sicque miser casibus, vitiis omnibus, et quasi per multa mens dispergitur: quærit, nec invenit, ubi requiescere possit. *Ibidem.*

13. Nequaquam ulterioris cura diei te conterat: cujus enim diei spatium te visurum nescis, quam ob causam illius sollicitudine torqueris? *Chry. super Matth.*

6. *Da nobis hodie.*

14. O infelix anima, quid sollicita es erga plurima? porro cum unum sit necessarium, dilige unum, in quo sunt omnia, et ibi fige cor tuum, et desiderium. Nam felices illius civitatis cives, cujus participes in idipsum: mundus enim transit, et concupiscentia ejus. *Richar. de sant. Vict.*

15. Sollicitus dicitur, quasi solers citus: in quantum scilicet aliquis ex quadam solertia animi velox est ad prosequendum ea, quæ sunt agenda. *Isid. lib. 2. Etymol.*

16. Nam sicut homo nonquam inutilis bene servit: ita nec occupatus bene commendata custodit. *Max. episcop. in quodam serm.*

17. Non invenio, cum quo te malim esse, quam tecum si poles; obduc te, et occupationibus istis nec jactare debes, nec abscondere. Id age, ut olium tuum non emineat, sed appareat: si latebras times, te satis priora monstrabunt. Tenebras habere non poles, sequetur quocumque fugeris multum pristinae lucis: quietem poles vindicare sine illius odio. *Sen. epi. 19.*

18. Ubi cumque mecum sum; rebus enim me non trado, sed commodo. *Sen. epi. 55.*

19. Numquid non succedent occupationes novæ? serimus illas, ex una exeunt plures. *Senec. 78.*

20. Cum Diogeni fur de nocte sacculum cum nummis subtrahere conaretur, et ille sentiret: tolle, inquit, infelix, ut facias utrosque dormire. *In Prov. philosoph.*
Vide etiam in tit. Avaritia, num. 7. in tit. Caro,

núm. 16. in lit. Contemplatio, núm. 6, 12, 31. in lit. Cupiditas, núm. 18. in lit. Devotio, núm. 2. in lit. Divitiæ, núm. 37, 63, 64. in lit. Gratia, núm. 13, 18. in lit. Judex, núm. 7, 15. in lit. Labor, núm. 5. in lit. Mundus, núm. 7. in lit. Prælatio, núm. 65. in lit. Prosperitas, núm. 18. in lit. Regimen, 8. in lit. Simplicitas, núm. 2. in lit. Solitudo, núm. 1, 11, 18, 19, 22, 28.

SOLITUDO, ET TUMULTUS.

1. Minus voluptatibus stimulat, qui non est ubi frequentia voluptatum, et minus avaritiæ molestias patitur, qui divitias non videt. *August. in lib. de singul. cler.*

2. Sapiens nunquam solus esse potest; habet enim secum omnes, qui sunt, et qui fuerunt boni, et animum liberum, et quocumque vult, profert et transfert, et quod corpore non potest, cogitatione complectitur: et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo: nunquam bonus solus erit. *Hier. contra Jovinian.*

3. Infinita eremi vastitas te terret, sed tu paradysum mente deambula: quotiescumque cogitatione ac mente illuc conscenderis, toties in eremo non eris, scabra sine balneo contrahitur cutis: sed qui in Christo semel lotus est, non illi necesse est iterum lavari. *Hier. in epist. ad Heliod.*

4. Solitariam vitam numquid reprehendimus? minime, quippe quam sæpe laudavimus, sed de monasteriis his nolumus egredi. Milites quoque eremi dura rudimenta non terreant, qui speciem conversationis nullo tempore dederunt, qui omnium fuerunt minimi, ut primi omnium fierent: quos nec esuries, nec salietas aliquando superavit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, sermo, incessus, vultus, doctrina virtutum est. *Hier. in epist. ad Rusti.*

5. Si carni, quod licet, abscindimus mox in spiritu, quod delectat, invenimus. Intentioni quippe animæ si exterior evagatio clauditur, interior accessus

aperitur; nam quò extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eò super se intendere per provectum potest: quia et in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos diffundi prohibetur: et quum rivos fontis obstruimus, fluentia surgere ad superiora provocamus. *Greg. lib. 30. Moral.*

6. Qui corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se infert, non est in solitudine; si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, et tamen nullos secularium curarum tumultus in corde patitur, non est in urbe. *Greg. ibid. sup. ill. Job. Cui dedi in solitudine domum.*

7. Malum, quod nemo videt, nemo arguit, ubi autem non timetur reprehensor, securus accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conventu verò, si qua bona agis, nemo prohibet. Malum autem facere si vis, non licet: si ergo de fatuis virginibus es, congregatio tibi necessaria est, si de prudentibus, tu congregationi. *Bernar. ad Sophiam virg.*

8. Quamdiu quis permistus est turbis, et in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo, nec potest esse sanctus. *Orig. ho. 8. super Levi.*

9. Solitudo sicut novit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare, et intuitu sincerissimo spiritualium sacramentorum scientiam revelare: ita eorum, qui minus emendati sunt, vitia non solum servare, sed etiam exaggerare consuevit. Tamdiu patiens sibi quisque videtur et humilis, donec nullius hominum commiscetur consortio; ad naturam pristinam reversurus, quum interpellaverit cujuslibet occasionis commotio. *Joan. Cass. de instit. mon. lib. 8.*

10. Crates cum vidisset secreto ambulante adolescentulum, interrogavit, quid illic solus faceret? mecum inquit, loquor; cui Crates: cave, inquit, rogo, et diligenter attende, ne cum homine malo loquaris. *Val. Max. et Sen.*

11. Projice quæcumque cor tuum laniant, quæ

si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis evellendum erat. *Sen. l. 2. epist.*

12. Quidam adeo in latebras refugiunt, ut putent in turbido esse, quidquid in luce est. *Sen. epist. 2.*

13. Lugentem timentemque custodire solemus, ne solitudine male utatur. Nemo est ex imprudentibus, qui relinqui sibi debeat. Illud enim quod solitudo habet commodum, est non timere judicem. *Ibid. 10.*

14. Quid autem prodest recondere se, et ante oculos hominum, auresque vitare? Bona conscientia turbam advocat, mala et solitudine anxia est, atque sollicita. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem! *Ibidem 91.*

15. Qui res et homines fugit, ille est, quem cupiditatum suarum infelicitas relegavit: qui alios feliciores videre non potuit, qui se velut limidum atque iners animal, metu occullavit: ille sibi non vivit, sed quod turpissimum est, ventri, somno, libidini; non sibi vivit, qui nemini. *Ibidem 56.*

16. Vivit is, qui nullis usui est: vivit is, qui se utitur. qui vero latitant et torpent, mortem suam antecesserunt. *Ibidem 61.*

17. Omnia nobis mala solitudo persuadet: nemo est, cui non sanctius sit cum quolibet esse, quam secum. *Ibidem.*

18. Licet foris resonent omnia, dum intus tumultus non sit, dum inter se non rixentur cupiditas et timor, dum avaritia luxuriaque non dissideant, nec altera alteram vexet, bene est animo. Nam quid prodest totius regionis silentium, si affectus tremunt? *Ibidem.*

19. Quid tibi præcipue vitandum existimes, quæris; turbam. Numquam illi tu te commiseris, nunquam à turba mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur, aliquid ex his, quæ fugavi redit, inimica est mullorum conversatio: nam aut aliquid vitii nobis ingerit, aut commodat, aut imprimit: quod major est populus, cui miscetur, hinc periculi plus est. *Sen. 7 epist.*

20. Nihil tam damnosum bonis moribus, quam in spectaculo residere: tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. *Ibidem.*

21. Secessi non tantum ab hominibus, sed à rebus, et in primis à rebus meis. Qui nihil videntur agere, majora agunt. *Sen. epist. 1.*

22. Tumultuosam probantes vitam, quotidie cum difficultatibus rerum magno animo colluctantur. Sapiens feret ista, non eliget, et mallet esse in pace, quam in pugna. *Sen. 22. epist.*

23. Jucundum est esse secum, quum quis se dignum diutissime, quo fruatur, efficit. *Sen. 5. epist.*

24. Animalia quædam, ne inveniri possint, sua circa ipsum cubile confundunt. Idem tibi faciendum est, alioquin non deerunt, qui persequantur. Multi aperta transeunt, condita et obstrusa rimantur, furem signata sollicitant, vile videtur quidquid patet. *Sen. epist. 10.*

25. Amplectendum est olivum, quod inter Deos agitur, quod Deos facit, sed forte conquereris, virtutem abscondi. Nulla virtus latet, et latuisse, non ipsius est damnus. *Sen. 74. epist.*

26. Solitudinem quærit, qui vult cum innocentibus vivere. Optimus animus et pulcherrimus Dei cultor est. *Sen. lib. de morib.*

27. Non vivas aliter in solitudine, aliter in foro. *Ibidem.*

28. Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge et unum. Unus pro populo mihi est, et populus pro uno. Mihi satis est unus, satis est nullus. *Sen. in quad. ep.*

29. Omnes vocant cui volunt, neminem res sequuntur, ipsi illas amplexantur, et argumentum felicitatis occupationem esse putant. *Sen. in ep.*

Vide etiam in tit. Acedia, núm. 10. in lit. Detractio, núm. 15. in lit. Prælatio, núm. 36, 37. in tit. Societas, núm. 14. in tit. Taciturnitas, núm. 20.

SORTILEGIUM ET DIVINATIO.

1. Varro dixit, quator esse divinationis genera,

terram, aquam, aëra, et ignem: hinc Geomantiam, hydromantiam, aëromantiam, pyromantiam, dictam constat. Divini dicti sunt, quasi Deo pleni, divinitate enim se plenos simulant, et astutia quadam fraudulenta hominibus futura coniectant. Duo sunt autem genera divinationis, ars et furor. Incantatores dicti sunt qui peragunt verbis artem: sunt arioli, sunt aruspices, sunt augures: qui et auspices et sortilegi, auspicia et auguria: sunt pythones, genethliaci, sunt salisatores, sunt et præstigia. Cuncta autem hæc sunt à Christiano vitanda, et omni penitus execratione repudianda atque damnanda, nam in his omnibus ars dæmonum est ex quadam pestifera societate hominum, et malorum angelorum exorta. *Isid. lib. 8. c. 9. ubi plenius de omnibus agitur et ex Aug. in dec. q. 26.*

2. Divinatio est earum rerum prædictio, et præsensio, quæ sunt fortuitæ. *Tull. in 2. de divin.*

3. Qui sine salvatore salutem vult habere, et sine vera sapientia æstimat, se prudentem fieri posse, non sanus, sed æger, non prudens, sed stultus in ægritudine assidua laborabil, et in cæcitate noxia stultus, et demens permanebit; ac proinde omnis inquisitio, et omnis curatio, quæ à divinis, et magis, vel ab ipsis dæmoniis in idolorum cultura expellitur, mors potius dicenda, quam vita. *August. in lib. de Civ. Dei.*

4. Illos planetarios, quos mathematicos vocant, planè consulere non desistebam, quòd quasi nullum eis sacrificium et nullæ preces ad aliquem spiritum ob divinationem dirigeretur, quod tamen Christiana et vera pietas consequenter expellit et damnat. *Aug. lib. 3. conf.*

5. Hujusmodi artes nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum et dæmonum, quasi peccata infidelis et dolosæ amicitiae constituta, penitus sunt repudiandæ et fugiendæ Christiano. *Aug. lib. 1. de Doctrin. Christia.*

6. Non est absurdum credere, aliquâ dispensatione permissum fuisse, ut non dominante arte magica, sed dispensatione occulta, quæ Pythonissam et Saulem

latebat, se ostenderet spiritus justi aspectibus regis, divina eum sententia percussurus: vel non vere spiritus Samuelis à requie sua excitatus est, sed aliquod phantasma et illusio imaginaria diaboli machinationibus facta, quam Scriptura Samuelem appellat, sicut solent imagines rerum suarum nominibus appellari. *August. in epist. ad Simplic.*

7. Non debemus sub exemplo Jonæ sortibus credere, vel illud de acibus Apostolorum hujus testimonio copulare, ubi sorte Matthias in apostolatam eligitur. *Hier. super Jonam.*

8. Siquis ariolos, aruspices vel incantatores observaverit, aut phylacteriis usui fuerit, anathema sit. *Gregor. et ponitur. 26. q. 5. si quis.*

9. Non exemplo Matthiæ, vel quod Jonas propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum privilegia singulorum communem legem omnino facere non possunt. Siqui tamen necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus Apostolorum exemplo esse consulendum, videant hoc ipsos apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, et precibus ad Deum fuis egisse. *Beda super Acta Apo.*

10. Sortilegium est quoddam genus culturæ idolorum ex dæmonum consultationibus futura prædicando. *Isid. de etymolog.*

SPES.

1. Mihi magis videtur fidei filius, qui novit, à quo speret, quod nondum habet, quam qui sibi tribuit, quod habet. *August. de spi. et li.*

2. Vita vitæ mortalis spes est vitæ immortalis. *Aug. super Psal. c. 3.*

3. Qui gaudet in spe, tenebit et rem; qui autem spem non habet, ad rem non poterit pervenire: spes et charitas erunt idem. *August. de charita.*

4. Fides credit: spes et charitas orant, sed sine fide esse non possunt: at per hæc et fides orat. *Aug. in Enchirid.*

5. De divina miseratione tunc sperandum amplius est, quum præsidia humana defecerint. *Amb. in hexam.*

6. Spes commodi furatur labores, et metum abscondit periculi. *Ibid. super Psalm. 12.*

7. Omne opus leve fieri solet, quum ejus prælium cogitatur, et spes præmii solatium sit laboris. *Hier. in epist.*

8. Spes in æternitatem animum erigit, et idcirco nulla mala exterius, quæ tolerat, sentit. *Greg. lib. 6. Moral.*

9. De spe incassum præsumit, qui timere Deum in suis operibus renuit. *Greg. lib. Moral.*

10. De creatore desperare est, spem in creatura ponere. *Greg. in Moral.*

11. *Tu es Domine spes mea:* Quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine spes mea, hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis: prætendat alter meritum, suslinere se jactet pondus diei et æstus, jejuna bis in Sabbato se dicat, postremo non esse sicut cæteros, omnino gloriatur. Mihi autem adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam. *Bern. ser. 9. sup. Qui habitat.*

12. Si mihi præmia promittuntur per te obtinenda, sperabo: si insurgant adversum me prelia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. *Ibidem.*

13. Ut quid cunctamur omnino abjicere spes miseræ, vanas, inuliles, seductorias, et huic uni tam solidæ, quam perfectæ, tam beatæ spei tota devotione animi, toto fervore spe inhærere? *Ibidem.*

14. Dicit fides: parata sunt magna et inexcogitabilia bona à Deo fidelibus suis: dicit spes: mihi illa servantur; nam tertia quidem charitas: curro ego, ait ad illa. *Ibid. serm. 10. super Qui hab.*

15. Tria considero, in quibus tota spes mea consistit: charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Non est via ad regnum sine

præmiis regni, nec sperare potest cæleste regnum, cui nec super propria regnare membra adhuc donatur. *Bernard.*

16. Tu es patientia mea: si tribulatio inferatur, per te superabo: tu es spes mea: si præmia promittantur, per te oblinebo: si insurgat hostis, non nisi in te sperabo. *Ibidem.*

17. Futurorum spes laborantibus requiem parit, sicut in agone positus dolorem vulnerum miligat spes coronæ. *Orig. super Ex. ho. 9.*

18. Spes est virtus, quæ speramus præmium vitæ æternæ justorum meritis reddendum. *Cass. super Psalm.*

19. O fallacem hominum spem fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpè franguntur et corruunt, et ante in ipso portu obruantur, quam portum conspicerent. *Cicer. 1. de Orat.*

20. Sola spes hominem in miseriis consolari solet. *Ibidem. in Cantil.*

21. Spes est ultimum adversarum rerum solatium, memoriæ minimum tribuit quisque, spei plurimum. *Senec. in quadam epist.*

22. Spe honorum, quidquid indignitalis imponitur, ferre convenit: remedium honorum futura spes est, nec innocentem debilitat conscientiam quum in adversis solatium est, non meruisse, quæ patitur. Fortuna innocentem deserit sæpè, at bona spes nunquam. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Desperatio, num. 8. in tit. Resurrectio, num. 17. in tit. Tribulatio, num. 11, 33.

SPIRITUS SANCTUS.

1. Sanctum semper opus in me spira, ut cogitem: compelle, ut faciam: suade, ut te diligam: confirma me, ut te teneam: custodi me, ne te perdam. *Aug. in epist. ad quendam comit.*

2. Spiritus sapientiæ negligentiam impigrè repellit,

spiritus intellectus diligentiam rationabiliter quærit, spiritus consilii divinam providentiam prudenter invenit, spiritus virtutis insigationes fortiter recondit, spiritus scientiæ oblivionem lubricam diu esse integrè non sinit, spiritus pietatis humanam fragilitatem clementer indulget, spiritus timoris Dei improvidam ignorantiam ardentè decoquit, et benè replet. *Hier. super Marc.*

3. Sapientia domum ædificat, intellectus gubernacula invenit, consilium bona discreta facit, virtus in patientia animam possidet: scientiâ divitiæ Dei et salutis acquiruntur, pietate prosperitas præsentis vitæ et futuræ consistit, timore humanitas conservatur, et omne peccatum expellitur. *Ibidem.*

4. Porrò ad faciendum bonum, quid in nobis bonus spiritus operatur? profectò monet, movet et docet: monet memoriam, movet voluntatem, et docet rationem: nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis et compunctionis exurit spiritus dulcis et suavis. *Greg. lib. Moral.*

5. Habitare in corpore animam, probant vitales sensus corporis; habitare in anima spiritum, probat vita spiritualis. Illud ex usu et auditu dignoscitur, istud ex charitate et humilitate, cæterisque virtutibus. *Ibidem.*

6. Septem graduum erat ascensus civitatis. Sunt enim multi, qui jam per septem gradus, id est, per sancti spiritus septiformem gratiam, aditum vitæ cælestis inveniunt: per timorem Dei humiles, per pietatis studium misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauli, per intellectum providi, per sapientiam maturi. *Greg. super Ezech.*

7. Spiritus sanctus in columba et igne apparuit: quia omne cor, quod ejus gratia tangitur, et mansuetudinis lenitate tranquillum, et zelo justitiæ fit accensum. *Greg. in ho.*

8. Spiritus sanctus contra singula tentamenta eru-

dit: et in septem virtutibus temperat, ut contra stultitiam sapientiam, contra hebetudinem intellectum, contra præcipitationem consilium, contra timorem fortitudinem, contra ignorantiam scientiam, contra duritiam pietatem, contra superbiam del timorem. Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit, quia omnes quos replevit, ardentè pariter et loquentes fecit. *Greg. in ho. si quis.*

9. Quia Dominus discipulos et zelo succensos, et verbo eruditos intus reddit, foris linguas igneas ostendit: in significatione admota sunt elementa, ut ignem et sonitum sentirent corpora, igne verò invisibili, et voce sine sonitu docerentur corda. Foris ergo ruit ignis, qui apparuit, sed intus, qui scientiam dedit. *Gregor. in Moral.*

10. Idcirco Spiritus sanctus in igne et columba nobis monstratus est, quia videlicet omnes, quos implet, et columbæ simplicitate mansuetos, et igne zeli ardentè exhibet. Nequaquam ergo Spiritu sancto plenus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis fervorem æmulationis deserit, aut rursus in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit. *Gregor.*

11. In terra datur spiritus, ut diligatur proximus; è cælo datur spiritus, ut diligatur Deus. Sicut ergo una est charitas, et duo præcepta: ille unus spiritus, et duo dona. *Greg. ho. 29.*

12. Considero patres novi et veteris testamenti, David, Danielelem, Amos, Petrum, Paulum, et Matthæum, et apertis oculis fide intueor: implet namque Spiritus sanctus puerum citharædum et psalmistam facit: implet abstinenterem puerum, et judicem senem facit: implet pastorem armentarium, et prophetam facit, implet piscatorem, et principem Apostolorum facit, implet persecutorem, et doctorem Gentium facit, implet publicanum, et Evangelistam facit. Quam ergo insani sumus, qui hunc spiritum non quærimus! *Greg. super Ezech.*

13. Absque ulla dubitatione convenienter accipitur, ut à Spiritu sancto ductus credatur, ut illic eum

suus spiritus duceret, ubi eum ad tentandum spiritus malignus inveniret. *Greg. super ill. Matth. 4. Ductus.*

14. Cum absque corporis adminiculo nec bestialis spiritus servilis conditionis debitum solvere, nec spiritalis cœlestisque creatura implere ministerium pietatis, nec rationalis anima tam proximo, quam etiam sibi sufficiat consulere ad salutem; liquet, omnem creatum spiritum, sive ut juvet, sive ut juvetur, sive simul ut juvet et juvetur, corporeo prorsus indigere solatio. *Bern. super Cant. ser. 5.*

15. Spiritus paracletus dat pignus salutis, robor vitæ, scientiæ lumen, pignus salutis, ut ipse reddat testimonium spiritui tuo, quod filius Dei sis. Robor vitæ, ut quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam ejus non solum possibile, sed etiam facile fiat: lumen scientiæ, ut cum omnia benefeceris, te servum inutilem putes, et quidquid boni in te inveneris, illi tribuas, a quo omne bonum est: in tribus istis Spiritus sanctus docebit te omnia, quæ pertinent ad salutem. *Bern. in ser. 2. Pent.*

16. Spiritus sanctus multiplex dicitur, quia multipliciter filiis inspiratur: conceditur enim ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad servitutem. Ad usum vitæ, bonis et malis communia bona abundantissimè tribuens. Ad miraculum, in signis et prodigiis. Ad salutem, quum toto corde revertitur ad Dominum Deum. Ad auxilium, quum in omni colluctatione adjuvat infirmitatem nostram. Ad solatium, quum testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Ad fervorem, quum in cordibus perfectorum vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solum in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus gloriantur, contumeliæ gloriam reportantes. *Bern. ser. 5. Pentec.*

17. Spiritus Jesu, spiritus bonus, spiritus sanctus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans, quidquid in hoc seculo nequam videtur difficile et angustum, leve facit, et hic illatum opprobrium gaudium judicat,

et despectionem exaltationem esse persuadet. *Bernard.*

18. O quam velox est sermo sapientiæ! et ubi Deus magister est, citò discitur, quod docetur. Non est adhibita interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad usum, non tempus ad studium, sed spirante, ubi voluit, spiritu veritatis, propriæ singularum gentium voces factæ sunt in Ecclesiæ ore communes. Ab hoc igitur die tuba Evangelicæ predicationis intonuit, ab hoc igitur die imbres charismatum, flumina benedictionum omne desertum et universam aridam rigaverunt. *Leo papa in serm. de Pent.*

19. Nulla in discendo mora est, ubi Spiritus sanctus doctor est. *Beda ho. 91. super illud Luc. Exurgens.*

Vide etiam in tit. Baptismus, nûm. 5. in tit. Peccatum, nûm. 19. in tit. Prædicatio, nûm. 24. in tit. Superbia, nûm. 24.

STUDIUM.

1. Sedulò monendi sunt scholastici, ut humilitate induti Christiana discant non contempere, quos cognoscunt; morum vitia, quam verborum amplius devitare, sed casto cordi linguam exercitatum non conferre audeant, quam etiam præferre consueverant; his enim maxime est utile nosse, ita esse præponendas verbis sententias, ut præponitur animus corpori. Ex quo fit, ut ita malle debeant veriores, quam discretiores invenire sermones, sicut malle debent prudentiores, quam formosiores habere amicos. *August. in lib. de catec. rud.*

2. Quid est invenire, nisi in id venire quod quæritur? quæ autem ultrò occurrunt menti, non dicuntur inventa quamvis dicantur cognita: quia non tendebat anima ad illa quærenda. *August. lib. 9. de Trin.*

3. Legimus aliqua, ne negligantur, legimus, ne ignoremus: legimus, non ut teneamus, sed ut repudiemus. *Ambr. super Luc. lib. 1.*

4. Sit ipsa lectio temperata, cui finem consilium, non lassitudo imponat: nam ut immoderata jejunia,

et ardor abſtinentiæ, et inordinatæ vigiliæ intemperantiæ coarguuntur, et nimietate ſua pereunt, ut hæc ipſa poſt ea quidem nec mediocriter fieri poſſint: ita ſtudioſum intemperans lectionis in reprehentionem cadit, et quod laudabile eſt in genere ſuo, fit nimietate ſui culpabile. *Hieron. ad Demetr. virg.*

5. Idecirco et deſidiosus ingenium sæpè accipit, ut de negligentia juſtiùs puniatur, quia quod ſine labore aſſequi potuit, ſcire contempſit: et ideo nonnunquam ſtudioſus tarditate intelligentiæ premitur, ut eò majora præmia retributionis inveniat, quò magis in ſtudio inventionis elaborat. Nihil ergo eſt in terra ſine causa, quando et ſtudioſo tarditas ad præmium proficit, et deſidioſo velocitas ad ſupplicium creſcit. *Gregor. in moral.*

6. Omnino iniquum eſt, nobiliora ingenia ſtudiis dehoneſtari minoribus, et eos, quos ardua et graviora expectant officia, voluptatis, et vanitatis occupationibus agitari. *Chrys. de cur. nug. veſt. phi. lib. 1.*

7. Omnis profeclus ex lectione et meditatione procedit: quæ enim neſcimus, lectione diſcimus; quæ didicimus, meditationibus conſervamus. *Isid. lib. 3. de ſum. bon.*

8. Punge, et dabit lachrymam, ſtringe mentem, et dabit intellectum. Nihil enim tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. *Orig. ſuper Exod.*

9. Tria ſunt ſtudentibus neceſſaria, natura, exercitium, diſciplina. In natura conſideratur, ut facile audita percipiat, et præcepta firmiter retineat. In exercitio, ut labore et ſedulitate naturalem ſenſum excolat. In diſciplina, ut laudabiliter vivens, mores cum ſcientia componat. *Hug. lib. 3. didasc.*

10. Tria ſunt quæ præcipuè ſtudiis legentium obſe ſolent: negligentia, imprudentia, fortuna: negligentia eſt, quando ea, quæ diſcenda ſunt, vel prorsus prætermittimus, vel minus ſtudioſè diſcimus: imprudentia eſt, quando congruum ordinem in his, quæ diſcimus, non ſervamus: fortuna eſt in eventu caſum, ſive naturaliſter contingente: quando vel patterlate,

vel infirmitate, vel naturali tarditate, ſive etiam doctorum raritate à propoſito noſtro retrahimur. In his autem tribus: de primo, id eſt, negligentia lector admonendus eſt, de ſecundo vero, id eſt, prudentia inſtruedus, de tertio, id eſt, fortuna adjuvandus. *Ibidem. lib. 4.*

11. Noli contemnere minima, quia paulatim defluit, qui minima contemnit. Si primo alphabetum diſcere contempſiſſes, nunc inter grammaticos tantum nomen non haberes. Scio quosdam eſſe, qui ſtatim philoſophari volunt: quorum ſcientia formæ aſini ſimilis eſt, noli huiusmodi imitari. Parvis imbutus, tentabis grandia tutus. *Hug. lib. 6. didasc.*

12. Sapiens ille vir Græciæ Demotheſes cum expletis 107 annis ſe mori cerneret, dixiſſe fertur; ſe dolere, quod egrederetur vita quando ſapere cœpiſſet. Plato octuageſimo anno, ſcribens, mortuus eſt. Socrates nonageſimum octavum in docendi et ſcribendi labore complevit: Refert Homerus quod de lingua Neſtoris jam veluti et penè decrepiti dulcior melle oratio fluxerit. *Ibidem lib. 3.*

13. Prudens lector vel auditor omnes libenter audit, omnia legit: non ſcripturam, non perſonam, non doctrinam ſpernit: ab omnibus indifferenter quod ſibi deeſſe videt, quærit non quantum ſciat, ſed quantum ignorat, conſiderat. *Ibidem.*

14. Studium eſt aſſidua ac ſagax retractatio cogitationis, aliquid involutum explicare nitens, vel ſcrutans penetrare occultum. *Ibidem.*

15. Meditatio, eſt frequens cogitatio, modum et cauſam et rationem uniſcujuſque rei inveſtigans. *Ibidem.*

16. Studium eſt animi aſſidua et vehemens applicatio ad aliquid agendum, cum ſumma voluntate occupati. *Hugo.*

17. Quia pauci ſtudia non honorant, ſimul et naturali iudicio fixum eſt, et radicalum pectoribus humanis, ut qui non intelligunt artes, non mirentur artifices. *Si. l. 5. epist.*